Universitätsbibliothek Paderborn

De Conivgio Doctrina

Wigand, Johann

Jhenæ

VD16 W 2745

Forma Sev Qvomodo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36207

Visual Library

In codice lib. 5. tit. 17. de repudijs iſtæ cauſæ commemorantur: Si qua maritum ſuum adulterum aut homicidam, aut veneficum, vel certè contra noſtrum imperium aliquid molientem, vel falſitatis crimine condemnatum inuenerit, ſi ſepulchrorum diſſolutorem, ſi ſacris ædibus aliquid ſubtrahentem, ſi latronem, vel latronum ſuſceptorem, vel abactorem, aut plagiarium, vel ad contemptum ſui domuiue ſuæ ipſa inſpiciente cum impudicis mulieribus (quod maxime etiam caſtas exaſperat) cœtum ineuntem, ſi ſuæ vitæ veneno, aut gladio, aut alio ſimili modo inſidiantem, ſi ſe verberibus (quæ ingenuis aliena ſunt) afficientem probauerit, tunc repudij auxilio uti neceſſario ei permittimus libertatem, & cauſas diſſidij legibus comprobare. Sed iſta ad Conſiſtoriorum iudicia ſunt referenda.

FORMA SEV QVOMODO.

Diuortium eſt legitima quædam diuulſio Coniugum. Explicandum itaq; nonnihil eſt, QVOMODO eam fieri conueniat, obſeruata tamen Methodi ratione.

In genere autem tria, ad formam ſeu rationem diuortij pertinent, bono & legitimo ordine nempe:

Cogni-

Cognitio cauſæ.
Dijudicatio.
Promulgatio atq; executio.

Cognitio cauſæ, habet accuſationem & probationem legitimam & veram. Accuſatio autem ſit plana. Probatio verò ſit luculenta. Nam intricata & dubia, impediunt rectum iudicium. Huc & citatio pertinet, ſi pars aduerſa non ſit in eo loco, aut alioquin iudicium ſubterfugiat. Nam iuſtiſſima lex eſt, Oportere vtramq; partem audiri.

Eines Mans rede iſt keine red/
Man ſoll die theil hören allbed.

Si verò non compareat aduerſaria pars poſtquam ſemel, bis, ter, peremptoriè conceſſoq; iuſto temporis ſpacio citata, omniſq; diligentia ſine mala fraude adhibita fuerit, in inquirenda illa perſona, & efficiendo, vt citacio quantum poſſibile eſt ad eam pertingere valeat, cognati aut amici eius ſi haberi poſſunt, de abſente interrogentur, Iſtis etiam vel abſentibus, vel nihil adferentibus, quod ad cauſæ cognitionem pertinere videtur; pars accuſans omnia probet illuſtrius, quæ & cauſa ipſa, & iudices pij, ſapientes, & iuſti requirunt. Nihil enim præcipitanter agen-

dum eſt. Nam res grauiſſima eſt ſeparatio Coniugum, qui iudicio diuino pro vna carne habentur. Ergò & ſapienter, & cunctanter procedendum eſt, hoc eſt, vt non feratur ſententia, niſi prius omnibus legitimè & accuratè exploratis atq; perſpectis.

Deinde verò & nimia, ac non neceſſaria, imò damnoſa dilatio legitimi iudicij, in vicio eſt. Nam vbi cauſæ ipſæ per ſe planæ ſunt, aut probationes ita euidentes, vt quaſi in ipſo conſpectu verſentur, ibi iuſticia & æquitas poſtulant, vt parti innocenti auxilium feratur. Nocens verò, debita pœna afficiatur.

Dijudicatio verò cauſæ, ſit legitima & clara. Norma ſit verbum Dei, & leges ciuiles honeſtæ, boniſq; rationibus à verbo Dei non alienis, ſuffultæ.

Complectitur autem iſta legitima dijudicatio, ſeu ſententia, quæ ibi profertur, duo potiſſimùm, primùm, teſtimonium de innocenti perſona, & abſolutionem à vinculo coniugij, conceſſionemq;, vt habeat libertatem aliud matrimonium contrahendi, ſine peccato, & ſine infamia. Deinde nocentis, ſeu reæ perſonæ damnationem iuxta leges, obſeruata tamen ea ratio-

nt, vt cuilibet iudici, ſuus pœnæ modus relinquatur. Nam iudicia Eccleſiaſtica puniunt verbo, & excommunicatione ab Eccleſia. At merè politici Magiſtratus, puniunt gladio aliisq; legitimis modis. Ideò in adulteros & deſertores malitioſos, grauiter debent animaduertere, vt extet iudicium Dei contra tales violatores Matrimoniorum, & diſciplina, & honeſtas magis colantur. Nam negligentia Magiſtratuum, omnis generis peccata creſcunt. Nimis leues chirurgi, vt vulgo dicitur, faciunt putrida vulnera. Vitanda igitur ſunt in piis & iuſtis imperiis, vtraq; extrema, crudelitas nempe, & lenitas nimia.

Promulgatio ſententiæ, ſit ſolennis & publica, in qua diſertè pars rea damnetur, atq; innocens abſoluatur, data ei poteſtate, vt alii poſſit iungi matrimonio legitimè. Huic verò promulgationi, non modo in proferendo, ſed etiam in exequendo, ſua ſit & conſtet autoritas. Nam ſi potentiores ſeſe opponant, Deo & iuſtitiæ repugnant, grauioresq; pœnas, ſibi & illis accerſunt.

Nunc in ſpecie ad caſus, ſeu cauſas diuortiorum, generalia illa applicanda ſunt, vt magis ſint illuſtriora.

DE MORTE.